



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt nullus clericus ad iudicem secularem, alium clericum accusare  
præsumat. xxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Vt testes ad testimonium non recipiantur, quos accusator à domo sua produxerit. Cap. XX.*

**T**Estes ad testimonium non admittendos qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel quos ipse accusator de domo sua produxerit. Ad testimoniū autem infra quatuordecim ætatis annos, nullus admittatur.

*Ex eodē cap. 5.*

*Vt nullus clericus ad iudicem secularem alium clericū accusare præsumat. Cap. XXI.*

**V**T nullus clericus ad iudicem secularem alium clericum cum accusare, aut ad causam dicendum trahere quocunque modo præsumat: sed omne negocium clericorum, aut in episcopi sui, aut presbyterorum cum archidiaconi præsentia finiatur. Quod si quisunque clericus hoc implere distulerit, si iunior fuerit, vna minus de XL. ictus accipiat. Si vero honoratior, triginta dierum conclusione multetur.

*Ex cōcil. Mariscē. cap. 8.*

*Vt nullus iudex secularis aliquem Ecclesiasticorum distringere præsumat. Cap. XXII.*

**V**T nullus iudicum, neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum vllum, aut iuniores Ecclesiæ, sine scientia pontificis, per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia cui iniuriam irrogare dinoscitur, tam diu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat, & emendet.

*Ex cōcil. Parisiēsi, cap. 10.*

*Vt omnes causæ per auctoritatem veritatis ventilandæ sint. Cap. XXIII.*

**O**Mnes causæ primitus per auctoritatem veritatis ventilandæ sunt. Quibus sint, cuius sint, quomodo sint, quales sint, doctæ aut indoctæ, parvæ, an magnæ, notæ sint, aut ignotæ. Longi temporis an parui, aut antiqui hostis consuetudine repertæ sint. Hæc omnia iudex cum æqualitate discernere debet.

*Ex dictis August. in libr. de civitate Dei.*

*De clericis in falso testimonio conuictis.*

*Caput XXIII.*

**S**Tatutum est, vt si quis clericus in falso testimonio conuictus fuerit, reus capitali crimine censeatur, & officij ordine degradetur.

*Ex cōcil. Epaonēsi cap. 76.*

*De iudicibus. Cap. XXV.*

**A**D delictum pertinet principum, qui prauos iudices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt: *S. Isidor.*

*Ex dictis S. Isidor.*